

Q.K.  
408  
17


de Sigism. SB. ab Herberstein ejusq  
Moscovia.  
ORDINIS IVRIDICI  
DECANVS

II n  
7981

# GEORGIVS CHRISTIANVS GEB AVERVS D.

ET GEORGIAE AVGVSTAE H. T. PRORECTOR  
VIRI GENEROSISSIMI

BVRCHARDI CHRISTIANI BEHR  
EQVITIS LVNEBVRGICI  
SOLEMNIA INAVGVRALIA  
INDICIT.



GOTTINGAE  
APVD ABRAM. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.



ORDINIS IURIDICI  
DECANA  
GEORGIAE CHRISTIANAE  
GRAVAE D.  
ET GEORGIAE AGASTHEI THEROTICAE  
HABITATUR  
BARGHADIDI CHRISTIANI DECH  
COLLEGIUM NAVAGARIA  
INDICAT.



GOTTINGAE  
VND VELL. VANDENHOECK. VND TYPICUS



**Q**uando in ipsis Georgiae Augustae Sacris inauguralibus I. V. Doctores quinque dudum creatos solemnitatis causa prouinciabam, sex alios recentes ex Ordinis mei decreto renunciabam, tacitam, ut nunc fateri licet, fouebam spem, fore, ut tam laeta initia res non minus iucundae insequantur. Et sane

*Continuat summus pleno Deus ista favore  
Gaudia, successusque novis successibus auget.  
Ordine vota meant. (a)*

Vnde in nobilissimis retro Candidatis rarissimo exemplo nunc accedit, & duodenarium numerum majoribus nostris in publicis priuatisque causis legitimum atque veluti sacrum (b) conficit Candidatus post dedicata

(a) CLAVDIANVS de Laudib.  
Stiliconis L. I. initio.

(b) Multa, vt VARRONIS de Lingua Lat. Libro IV. p. m. 10. verbis vtar, antiqui duodenario numero finiebant. Ipsam sanctissimum Numen gentem Istraeliticam duodecim tribuum esse voluit, vnde duodecim Principum vel Ducum concilium, Numerorum II. & VII. & XXXIV. memoratum, & duodecim Exploratorum, virorum praeclarorum, manus c. XIII, recensita. Apud Suecos Gothosque Nembdae Iudicium fuisse XII. Affessorum, qui, quod deputati essent, Naembæmaen, (viri nomi-

nati) quod duodecim, Tolfaen appellabantur, ex Legibus illarum gentium ab RAGVALDO INGERVNDI latinitate donatis Libro VIII. c. 24 & 28. p. 229 & 232. constat. Adde Io. O. STIERNHOEOEK de Jure Sueorum veteris L. I. c. 4. CAROLVM LVNDIVM in dissertationibus a Celeb. NETTELBLADTIO in Themidis Romano-Sueciae Fasciculo primo restitutis, de Legibus Hyperboreis c. V. th. 3. in fine, & de Judiciis c. IV. th. 4. & c. VII. th. 7. & illarum ipsarum Legum Libri II. c. 3. & Libri VII. c. 1. & 2. vbi eligendi Regis, Legiferi, vel Praefidis causa duodecimi uiros

A

tum Academiam omnium primus, Vir Generosissimus, cui meo per omne illud tempus, quo apud nos commoratus est, inquilino, convictori, auditori, & itinerum cum antiquitatis oculis usurpanda, tum augendae librariae supelectilis causa, institutorum comiti perpetuo, curatissi-

me  
uiros conuenire debere constituitur. De duodenario numero, apud Danos & Norwagos in electionibus, in praedae diuisione, in sacramentorum præstationibus, solemni, vide Hirskraa sive Ius Aulicum Antiquum Norwagicum c. III. p. 403. Et c. XXXVII. p. 501. & ad illa loca notas IANI DOLMERI p. 407 & 503. vt & Waldemari Regis decretum de Ordalio abrogando ab Io. PETRO RESENIO in Netis ad Canuti II. Jus Aulicum Antiqu. Dan. p. 642 & 724 editum. De Anglo-Saxonibus & Normannis vide HENRICVM SPELMANNVM in Glafario, voce: *Jurata, GEORGIVM HICKESIVM* in illa quantius pretii Dissertatione Epistolari aeterno operi inserta p. 33. seqq. & GVIELMVM NICOLSONVM in Dissertatione Epistolari ad Dav. Wilkinsum de Jure Feudali veterum Saxonum p. 10. De Francis Occidentalibus est locus eximius in Capitulari secundo An. DCCCXIX. cap. 2. apud BALVIVM Tom. I. col. 605. Sed & Parium Franciae duodecim, in Regum inaugurationibus hodienum munere suo fungentium, vt originem sat incertam esse largior, v. *Recherches de la France L. II. c. 9. & 10.* dans les Oeuvres d'ESTIENNE PASQUIER T. I. p. 9. ita numeri causam in universali gentium consanguinearum consuetudine quaerendam esse, nul-

lus ambigo. Alemannis, cum in allodialibus, tum in feudalibus causis, Scabinorum Pariumque numerum duodenarium fuisse legitimum, monstrat *Jus Provinciale Alemanicum*, vt illud in Tom. II. Thesauri Schilteriani editum, cap. 164. Vix dubitari potest, Saxonibus eundem numerum arrifisse, & firmat hanc conjecturam *Weichbildi Saxonici Artic. XVI.* Sane in ipsam Prussiam penetrasse hunc morem ex iis constat, quae de rebus Funckianis in *Actorum Borussicorum Veterum. III. P. III.* p. 364. memorantur, A. 1566 inter Ducem Alber-  
tum & Eliam Canizium XII. Pa-  
res Curiae judices consedisse. Ade-  
Judicium Parium curiae eodem an-  
no Vflingae habitum apud LVNIGIVM Corp. Jur. Feud. T. I. col.  
1283. Denique in Judicio crimi-  
nali, siue sanguinis banno, quem  
Domini de Wöllwarth in Oppido Laubach & castro Fachsenfeld ex-  
ercent, apud LVNIGIVM in Corp.  
Jur. Feud. T. I. col. 1235 & 1237.  
in Judicio Venatorio Urbis Rotwi-  
lensis apud EVNDEM T. I. col. 1187.  
& denique in Illustrissimo Parium Curiae Bambergensis Judicio, de quo  
vide LvDOVICI in *Lebns Proces*s c. I. §. 83, collato LVNIGII Corp.  
Jur. Feud. T. I. col. 1539. morum antiquissimorum constantiam ob-  
seruasse fuit iucundum.

me erat praefandum, & aliquid eximii ex Iuris nostri penore promendum pro more, explicandumque. Verum enim vero, dum ad illud me accingo, a nodosarum legum explicatione me *nescio quo impetu correptum ipsa consiliis a Generosissimo Viro suscepit, & facti, quod instat, raritas atque praeftantia ad praeteritorum seculorum memoriam vocat, &, vt ex tot eruditae nobilitatis exemplis feligam vnum, cum quo Candidatum nostrum conferri, Eadem & honori & omni esse possit, me amica vi cogit, in quo quod ad Themidos Sacra inuitaturus, genio meo obsequor, eo paratiorem mihi fore veniam confido, quod, Iurisprudentiam & Historiam sorores esse conjunctissimas, clarissimi ICti, FRANCISCVS BALDVINVS (c) & IOHANNES BARBEYRACIVS (d) dum dederint euictum. Animo in hoc obfirmato, abdo me in Bibliothecam, &, dum reculas meas Germanicas, separatum horreum occupantes, lustro, incido forte fortuna in Sigismundi Liberi Baronis Herbersteinii Moscoviam, librum dudum meum, dudum mihi carum, & en, inquam, teneo Heroa, qui sua aetate & antiquitate generis, & gloria rerum geflarum, & sua modestia unus omnium maxime floruit, & cuius adeo memoriā restituisse, nostro Candidato ex causa non vna laudi fore existimo atque incitamento.*

SIGISMUNDVS AB HERBERSTEIN Anno 1486. 23. Augusti (e) Vipaci, (*Wippach,*) non Stiriae,

(c) In Libris II. de *Institutione Historiae uniuersae & eius cum Jurisprudentia coniunctione*, Parif, 1561. 4.

(d) In *Orat. Inaugurali de dignitate & utilitate Juris ac Historiarum & utriusque disciplinae amissione coniunctione*, Laufannaes Helve-

tiorum 1711. dicta, & in calce Pufendorffii Gallice loquentis Amstel. 1734. 4. tertium edita.

(e) Anno sequenti tantum eruditae nobilitatis decus in lucem esse editum, sententia fuit P. MARTINI BAVTSCHERI, verbis a VALVASORE in der Ehre des er-

riae, (f) quod vult MELCHIOR ADAMI in vitis Germanorum Ictorum ac Politicorum p. 125. de nostro Heroe alias praecclare meritus, sed Carniolae castro (vide Illustris IOANNIS WEICHARDI L. B. VALVASORIS Ehre des Herzogthums Crain Vol. III. Libro XI. p. 655) patre Leonardo, antiquae nobilitatis Viro, (g) Friderici V. in expe-

zogthums Krain Vol. III. L. XI. p. 655. allatis: *Anno 1487. Herbersteinii hoc aeuo florent, quorum Leonardo Fridericus Caesar contulerat Castrum Vipacense, in quo natus hoc anno Sigismundus ab Herberstein Literatorum gloria.* Nec ad hunc nodum tollendum quicquam facit, quod in supra laudata editione Moscouiae Germanica A. 1555. impressa ipse de se scribat: *Und bat gleichwohl diese Arbeit mir neben meinen täglichen Dienst und Alter, des ich nun in einem und siebenzigsten Jar bin, etwas Muehe, aber allermäist die Beschwärniß zu vertheufen gegeben, cum omnia ad nouum dubium redeant, num haec praefatio ante natalem anni 1557. scripta sit, num post eum, illud si verum cum M. ADAMI, fin hoc, cum BAVTSHERO facias.*

(f) Nouus hic iniicitur scrupulus a Nostro in modo laudata prae-  
fatione, vbi de se, iter, mortuo  
optimo Imperatore Maximiliano,  
in Italiam Hispaniamque faciente,  
ait, *durch mein Vaterland das Herzogthum Steyr:* sed nodum, nisi  
me omnia fallunt, soluunt verba  
LAZII de Gentium Migrationibus Lib. XII. p. m. 259. *Porro arx  
Herbstain non procul abest Neidper,*  
*in Styria inferiori ad fontes*  
*Wettstetii amnis, vt adeo Styrium*

fe dixerit, quod esset Herbersteinius, quamvis non in illa arce, sed in Carniolae castro esset in lucem editus. Quia vero de causa parentes, cum nasceretur Sigismundus, in Carniola Vipaci fuerint, ex P. BAVTSHERI obseruatione iam didicimus.

(g) JOANNES SINAPIVS vom Schlesischen Adel P. I. p. 35. vbi de Illustrissimae gentis stirpe Silesia diligenter agit, inter Maiores Anselmum von Herbergstein memorat, in Torneamento Turegeni Anni 1165. fortiter concurrentem, SPENERVM, vt opinor, proximum auctorem fecutus: sed vix est, vt multum de hoc atavō gloriantur Herbersteinii, cum Rüxneriana fide nitatur. Vide Thurnierbuch fol. LXXVI, wo unter den Edlen, welche mit Marggraf Leopolden von Oesterreich zu der Schaw aufgetragen haben, Anselm von Herbrechtstein angegeben wird. Certiora de Joanne Herbersteinio Parochio Pöllanensi ex Registro Anni 1209. affert ipse nosfer Sigismundus apud SPENERVM Parte spec. Herald. p. 154. cum quo contuleris ea, quae WOLFGANGVS LAZIVS in suis de Migrationibus Gentium Libris, loco supra allegato, de Dominis ab Herberstein memorat. Cui volupe est videre, quot quantisque ima-

gi-

expeditione Romana secundum Comite, ideoque Eques-  
tri ordini adscripto, Capitaneo Adelphogenſi, matre,  
*Barbara Luegeria* (b) Nicolai, Burggrauii Luenziae, fi-  
lia, natus, studiorumque caufa anno 1494 Thomae Wel-  
zeri Praepositi Capituli Gurkenfis disciplinae traditus,  
post biennium in Viennensem Academiam translatus, eo  
cum ſuccellu in literis eſt versatus, vt A. 1502. *Baccalaureus artium* crearetur. A. 1506 militiae nomen dedit, &  
in bellis cum Hungarico, tum Veneto ea virtutis ſuae  
specimina edidit, vt ab Imperatore Maximiliano I. A.  
1514 Equitis aureae militiae dignitate & Consiliarii auli-  
ci munere cohonestaretur. A. 1516 ad Christiernum II.  
Daniae Regem & eodem itinere ad plures S. R. I. Prin-  
cipes & Electores, Albertum Moguntinum, Fridericum  
Saxonem, Ioachimum Brandenburgicum, Henricum &  
Albertum Megapolitanos, imo ad Heluetios missus eſt  
Orator. A. 1517 a Maximiliano I. ad Basiliū Molcorum  
Ducem Legatus in itinere Vilnae Sigismundi Polonia-  
rum Regis & Bonae Sfortiae nuptias conciliauit. A. 1518

ex

ginibus ante annum 1680 fulserit  
illusterrima gens, adeat, quea ex  
EPHRAIMI IGNATII NASONIS  
A LEVENFEL: Monimento Histori-  
co-Panegyrico tam antiqui quam glo-  
rioflammatis, Equitum, Baronum  
Comitum, & S. R. I. Principum ab  
Herberstein excerpit, nouioribus  
que nonnullis exemplis auxit Re-  
uerendissimus FIBIGERVS in Sile-  
siographia Henelit renouata P. II. c.  
VIII. p. 366.

(b) Laudatissimus ADAMI Bar-  
baram hanc, ait, fuſſe ex familia  
de foramine diſta, cui narrationi  
lux accendenda eſt ex iis, quae L.  
B. VALVASORIVS in der Ebre des  
Herzogthums Crain P. III. Libro

XI. p. 348. habet: das Schloß und  
Herrschaft Lueg, in Crainerischer  
Sprache Luknia, wird zu Unter-  
krain gerechnet -- den Teutschen na-  
men hat es von denen Herren Er-  
bauern, denen Herren Lueggern  
erhalten. den Crainerischen aber von  
dem Worte Luknia, so ein Loch  
bedeutet: weiln das alte Schloß in  
ein Loch eines Felsen gebauet gewe-  
sen. Adde P. I. L. IV. p. 520. &  
525. vbi de Erafmo Luegero,ultimo  
fuſſe gentis, forte noſtræ Barbaræ  
fratre, certe agnato, non iniucun-  
da legituntur. Inſignia vide apud  
MEGISERVUM in Annal. Carinthiæ  
P. II. p. 1736.

A 3

ex Moscouia reuersus, Ludouicum Hungariae Regem adiit, confectisque negotiis ad optimum Principem Maximilianum I. moriturum reuersus est, quem post paucos dies A. 1519 fatis functum, suis ipse humeris ad sepulcrum bajulauit. Mox a Styriae Ordinibus ad Carolum, Hispaniarum Regem, electum Romanorum Imperatorem ablegatus, (i) in maximi Principis gratiam sese adeo penetrauit, vt A. 1521 in Comitiis Wormatiensibus inter Cameræ & mox Styriae Confiliarios cooptaretur. In Comitiis insequentis anni Norimbergensi- bus, inter Ordines Imperii, Ferdinandi Archiducis nomine, assedit. A. 1523 in Administrationem Austriaci Regiminis suscepitus, Helenam Grasweiniam in concors, coelebs tamen matrimonium recepit, mox magnis itineribus ad Moguntinum & Saxonem Electorem contendit. Componendum etiam erat Polonus inter Moscosque bellum, illuc nomine Caroli V. Imper. Leonardus Comes de Nugarolis, Ferdinandi Fratris nomine, Baro noster Herbersteinus ad Ludouicum Hungariae Regem, ad Sigismundum Poloniae Regem, ad Basiliū Czarum iuerunt; (k) re confecta noster ad Ferdinandum Regem Bohemorum electum A. 1527 reuersus est, coronationique Domini laetus intersuit. Eodem quo rediit anno aerarii Austriae inferioris cura nostro commissa est. Sed & Fer-

dinan-

(i) Da er dann mit nicht kleiner Gefährlichkeit Leibes und Lebens durch Ungefährlichkeit des Meers auf Sardinia Maiorica und Ibiza geworfen. FERDINANDVS Rex in Diplomate Anni 1542. infra alle-

gando.

(k) Carolus V. Caesar ad Ferdinandum Fratrem in Epistola Commentariis Herbersteinianis praefixa: Placent & nobis non minus Oratores ipsi, cum natalibus clari, tum pro-

priis virtutibus egregisque animi doribus ornati, singulari ad hoc rerum gerendarum peritia praediti. Quodque alter apud quondam Caefarem Maximilianum, Dominum & Auum nostrum felicis memoriae, eodem legationis munere functus, & toti huic, quod reparamus, Ruthe- no foederi & negotio auspex fuerit, ipsaque fundamenta iecerit, ita ut nemo in eo sibi praeferrri, sed ne con- ferri quidem posset.

dinandum Regem in expeditione Vngarica fuisse comitatum, ex iis conjicio, quae Io. CVSPINIANVS in Austria sua p. m. 51. habet. (1) A. 1532 Solimanni in expugnanda Viennae spem iterum erecti, sed ad Caroli advenientis famam fugientis extremum agmen noster, ad militarem gloriani reuersus, cum equitibus expeditis, duce Ioanne Cacianero cecidit, &, vt Fisco Austriaco praeficeretur, promeruit. A. 1541. in castra Turcici Tyranni cum Nicolao Comite Salmenſi Budam (m) missus, honorifice a Solimanno exceptus, & non sine donis est dimissus. Post tot & tanta negocia rude donari meruerat A. 1542. (n) Sed isto beneficio ex aſſe nostrum gaudere non fuit, & Regis Ferdinandi de expertae virtutis ministro & consiliorum adjutore fiducia summa, & nostri in regem patriamque amor maximus. Proximo ab immunitate imperata anno, Ferdinandi Regis filiam natu maximam, Elisabetham, Sigismundo Augusto Poloniarum Regi sponsam pronubus adduxit, biennio post cum Io. Lango

Sile-

(1) Collato NICOL. Isthvan-FIO Historiarum Libro IX. p. m. 92. sed merentur verba CVSPINIANI, vt hic legantur, quod, praepter elogium nostri, literarum amorem inter arma & tubas sedulum loquuntur: *Oſtendit mihi antiquum Diploma Sigismundus de Hermstein (Herberstein), vt in margine recte habetur) quod nuper Strigoni, cum rex Ferdinandus arcem expugnasset, & Hungariam armis sibi subigeret, ſeſe reperire ajebat: vir antiquitatis studiosus, a confiliis Regis, homo militaris, vir nunquam fatis laudatus, vt propediem eius Mazovia (Moscovia, vt iterum in margine habetur) ab eo deſcripta omni poferentiati docebit & manifeſtabit.*

(m) Non Constantinopolis, vt

sibi perſuafſe videtur *Auctor Bibliothecae Historiae Hamburgensis Centuria IV. p. 268.*

(n) Meretur legi Diploma Regis Ferdinandi prorūſ ſingulare apud SPENERVM Oper. Herald. Part. Spec. L. I. c. 37. p. 157. ex quo etiam conſtat, non minus priuatius quam publicis rebus noſtrum ſuccurrifſe, eamque fuſſe iſtarum momen, vt regio vti remedio neceſſum habuerit. Eo enim pertinent verba: *Dass er nun binfürō weder von uns noch jemand andern mit einigen beſchwierlichen Aemtern, als vollziebung der geſchäfte (legatorum) und lezten Willen, gerhabſchaften (tutelarum) und dergleichen Sachen beſchwieret noch betränget werden ſoll.*

Silesio dotem centum millium aureorum Cracouiam detulit. A. 1550. iterum cum Io. Lango ad Comitia Petricouiensia atque 1552. iterum ad Comitia eodem in loco habita, atque tertium anno sequenti in Poloniā iuit, vltima profectiōne iterum Poloniarum Regi, Ferdinandi Filiam, Catharinam, prioris conjugis Germanam, ducenti pronubus.

Tot laborum praemia a Maximiliano I. Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus & Regibus consecutus est potissimum tria: *Baronatus dignitatem*, quam suae Gentis, illustrissima S. R. I. Comitum praerogativa nunc praefulgenti, primus intulit: *Insignia*, quae cantherio argenteo Herbersteiniano, lupo argenteo inter corcula aurea Neidpergiano, helcia seu jugo equestri (*Roskhumet*) aureo Hagensi, galeisque duabus, lupo. & helcia pennis aquilinis nigris superba exornatis, constabant, scuto Castellano & Austriaco, cum tribus galeis, in quibus & Imperator, & Rex quatuor sceptra sinistra gerens, & peregrini cultus homo, tres sagittas, appenlo flagello & acinace, dextra comprehendens apparent, splendidissime locupletata: (o) *Honores denique Camerarii & Dapiferi Carinthiae*

(o) Indagavi diligenter in supellectili mea libraria insignia Herbersteiniana, & eum voluptate plura eorum exempla reperi. Nouissimum est, quod IOANNES GEORGIVS ADAMVS L. B. AB HOHENECK der Herren Stände des Erzherzogthums Oesterreich ob der Enns Genealogischen Beschreibung P. I. p. 340. inferuit, & insignia, vii ea nunc Comites Herbersteinii vifurpant, exhibit. Alterum est quod B. SPENERVS Operis sui Heraldici Tabula XXVII. expressit. Tertium apud MEGISERVM exstat in

*Annalibus Carinthiae* P. II. p. 172. Quarto CONRADVS DIEZ DE WEIDENBERG Germanicam editionem *Annalium Austriacorum Gerhardi de Roo*, p. 118. exornauit. Quintum in calce Commentariorum Moscouiticorum, vi latine Basileae 1571. fol. prodierunt, apparet. Sextum est Archetypum ab ipso Barone Herbersteinio Moscouiae suae Germanicae insertum, ex quo illa priora omnia sunt supplenda emendandaque. Quintum accurate refert Sextum, nisi quod scuta Neidpergianum & Hagenic cum galis

*thiae hereditario jure acquisiti. (p)*

*Ipse autem monumentum aere perennius, istis etiam titulis*

eis sunt omessa. In eundem modum se habet quartum, licet forma longe minore, forte, quod spatium istis imaginibus destinatum nimis angustum videretur, forte etiam caelatoris negligentia, qui Regem dextra gladium, sinistra quatuor sceptra gerentem, dextra sceptrum, sinistra tres sagittas ferre voluit, & in Mosco, flagellum & acinacem neglexit. Megiterianum Schema, licet ruditus minervae, regius expressum est, nisi quod in Mosco flagellum & acinaces fuerint omessa. In Speneriano Mosci flagellum vix agnoscet, sed & acinacem artifex tam infeliciter expreffit, vt a latere viri, & quidem quod turpius est, dextro ille pendere videatur, cum in Archetypo flagellum a digitis, acinaces a pugno hominis, loro vtrumque suo, iuspensum conspiciantur. Ade, si lubet, in calce Moscoviae Germanicae additas supellectiles peregrinae & trium Equitum figuras, & flagellum illud rectius cognoscet. In Hoheneckiano Schemate flagellum & acinaces prorsus deest, sed & helcia in hac & Speneriana effigie tam mire est picta, vt Oedipus sit, qui agnosceri possit, & in galea, pictorum incuria dicas an iniuria, in pileum est conuerfa. Meum non est improbare, quae Illustrissimi Herbersteinii vsu approbat videtur. Forte tamen futurus est aliquando Heros antiquitatis amans, qui flagellum & acinacem Molco restituet, helciam, vt agnoscit pos-

sit, efformare, pileum denique coronatae helcie in galea loco cedere iubebit. Quatuor sceptrorum, quae rex gerit, acutam dedit rationem B. SPENERVS P. II. p. 158, quatuor nempe reges, ad quos a Dominis missus est, Christiernum Daniae, Sigismundum Poloniae, Ludouicum Vngariae & Bohemiae, Sigismundum Augustum Poloniae indicari. Mihi per tres sagittas in manu hominis peregrino cultu inflignis tres Legationes ad gentes sagittiferas, binae ad Moicos, tertia ad Turcas, innui videntur. Ceterum quamvis noster Herbersteinius Vir, vt CVSPINIANVS ait, militaris fuerit, & fortissima facinora bellica ediderit, non tamen his sed Legationibus prudentiae & eruditiois causa eidem decretis, scuta & galeas promeruit, manifesto indicio, non vnam illam per arma & caedes ad tantum decus efficiat.

(p) Vt sunt verba Diplomatici Viennae 3. Febr. 1556, dati: *der geflaßt, daß der ætere dieses Stammes sich schreiben mag Oberster Erb-Cammer und Oberster Erbdrucksäß, und die jüngeren dieses Stammes allein Erbcammerer und Erbdrucksäß. Quod autem im allgemeinen Historischen Lexico voce: Herberstein additur: besitzet - - in Steyermark aber das Erbmarßbalamt; idonea fide non nisi crediderim, cum Illustrissimus WVRMBRANDIVS in Commentat. de Heredit. Provinc. Austriacarum Officiis p.*

tulis ad tuendam nominis immortalitatem certius aptiusque, sibi exegit, *Commentarios Rerum Moscouiticarum*, ad quas vt animum aduerteret, cum Matthaeus Langus Cardinalis Salisburgensis cohortatione sua, tum Rex Ferdinandus iussu suo effecerunt, vt in praefatione editionis Germanicae haec ita ipse memorat. Prodierunt Basileae apud Io. Oporinum 1551 fol. (q) & haud paulo locupletiores apud eundem, ibidem 1556 fol. Repetiti sunt Antwerpiae 1557. in 8. vt habet *Catalogus Vffenbachianus I.* II. p. 511. in folio, si *Bibliothecae Historicae Hamburgensi Centuriae IV.* p. 270. fidem habeas, neque enim editionem istam vidi, atque iterum Basileae 1571. fol. P. Io. VII Libro de Legatione Moschouitarum, GEORGII WERNHERI Hypomnematio de admirandis Hungariae Aquis, CLAVDII CARDINALIS GVISANI XII. Quaestionibus & Graecorum ad eas responsionibus, IOANNIS etiam LEWENCLAI de Moscorum Bellis ab annis LXX. commentario auctiores, & denique Rerum Moscouiticarum Autoribus variis Francofurti apud Heredes

An-

292 & 293. vbi de Styriae Marefchallis accurate agit, de hac re tracteat, immo, qui a Wildoniis ita dignitas per plures gentes illustres ad Illusterrimos Sauravios Comites defcenderit, ordine exponat.

(q) Hac editione Basileensi aliam esse antiquorem, forte Viennensem Anni 1549. cum ex dedicatione ad Regem Ferdinandum, calendis Martiis istius anni conscripta, tum ex Moscouiae tabula A. MDXLIX confecta, maxime vero ob haec in verba verisimilimum est, quae in praefatione Moscouiae Germanicae leguntur: *Hab ich das alles hochst gedachter ietziger Komiſchen Khü.*

May. Lateinisch zugezriben und also in Druckb khomen, das von vil gelertn gelobt, auch pald durch etliche in das Wällisch gleichermaßen in den druckb gebracht, das Lateinisch zu Basl zwaymal von newen durch mich in etlichen gemert, auch in etlichen gebessert, gedruckt &c. Sed haec editio omnium prima mihi non magis visa est aut lecta, quam illae, quas memorat, Italiace; vnam tamen alteramue nelle Navigationi & Viaggi racolte da GIO. BATT. RAMVSIO *Tome. II.* Venet. 1583. fol. edito extare, Bibliothecae Menkenianae indicio p. 709. comperti.

Andreae Wechelii 1600 fol. editis inserti. (r) Editiones Germanicas vidi quatuor: *primam* illam ab ipso Barone Herbersteinio Viennae 1557. fol. editam quantius pretii, cui praeter Insignia Herbersteiniana, & alia ornamenti infra memoranda, etiam: *die Wurtzen*, daraus *Carl und Ferdinand die Röm. Khaiser und Khunig mit iren Kindern glückfällichen erwachsen*, durch Herrn Sigmunden Freyherrn zu Herberstein Neyperg und Gutenhag Obristen Erbcamrer und Obristen Erbtrunklfäss in Karntn &c. Furgesetzten der Niederösterreichischen Camer aus schuldiger phlicht dem lóblichen Haus zu Österreich zu ehren, hoc est, Schema Austriacae Gentis Progonologicum est insertum. Alteram sub titulo; *Moscouiter wunderbahre Historien* erſtlich durch den Wohlgeborenen Herrn Sigmunden Freyherren zu Herberstein Neyperg und Gutenhag fleißig zu Latein beſchrieben: iez zu mahlen aber zu elren und wohlgefallen dem wohlgebohrnen Herren Johans Grauen zu Nassau durch Heinrich Pantaleon der freyen Künften und Artzney Doctorn zu Basel verteutschet. Basel 1563 fol. Adiectae sunt: *H. Pauli Iouii Moscouitischer Landen und H. Georgen Wernherns (Kuniglichen Raths und Landvogts zu Saren) Ungarischen Wunderbahren Wassern* beschreibung, quod posterius

us

(r) Fragmentum Commentariorum, vti illud in Rerum Moscouiticarum Autoribus p. 76-86. exstat, Jo. PISTORIVS in Polonica Rerum Scriptoribus Tomo I. p. 151. sub titulo: *Descriptionis Lithuaniae*, omissis tamen Bifontis & Vri, ferarum Lithuaniae, furgis inseruit: sed & IDEM Tom. III. Rerum Polonicarum scriptoribus p. 13. aliud fragmentum de Bello Poloni & Mosci habet, quod in Commentariis Herbersteinianis, vti inter Rerum Moscouiticarum Scriptores leguntur, p. 7-10. offendes, quod vel ideo monere vifum, ne quis sibi persuadeat *Descriptionem Lithuaniae* Herbersteinianam a Commentariis Rerum Moscouiticarum differre, aut AVCTORI Bibliothecae Historiae Hamburgensis Cent. IV. p. 271 fidem habeat, integrosque Rerum Moscouiticarum Commentarios in scriptoribus Rerum Polonicarum Pistorianis exstare credat.

B 2

us opusculum, vti etiam in supra laudata editione latina videre est, luculentae Epistolae nostri Herbersteinii, Wernherum ad scribendum excitantis, debemus. (s) Tertiam idem ille PANTALEON nobis dedit, Basileae 1567. fol. omissa tamen Iohannis Nassouiae Comitis mentione, cum hanc editionem verbis dedicationis paullum iniutatis Henrico Baroni Mörspergenſi & Befortio inscriperit, & suis de gentibus Moscouiae vicinis commentariis Iohanni Hool Ordinis Iohannitici Commendatori Argentinensi dedicatis & p. 192. Iouium inter Wernherumque collocatis, auctiorem dederit. Quarta est a Sigismundo Feyerabendio Frāncofurti ad Moenum 1589 fol. sub titulo: *Die Moscouitische Chronica edita & Georgio a Munster Consiliario Herbipolensi Praefectoque Arnsteiniensi inscripta*; prioribus merito postponenda, cum, priorem Pantaleonis, vt reor, editionem fecutus, eiusdem de populis Moscouiae vicinis commentarios non addiderit, & insertis more suo dum sculptis nihilque ad rem facientibus figuris, Czari Ba-

(s) Eximum in rebus naturalibus studium collocaſſe nostrum Herbersteinum loquuntur ea, quae Wernheri Gener SIGISMUNDVS TORDA GELOVS PANNONIVS in Carmine Soceri Hypomnematio praefixo canit:

*Es vero multos inter dignissimus unus  
Vel quod tanta tua vigeat sapientia mente,  
Vel quod dicendi nulli sis arte secundus,  
Vel quod Cecropia clarus celebrare mathest,*

*Et paulo post :*

*Jam disciplinas te perdidicisse operas,  
Quae ſpacia & moles numerosque  
& ſidera monstrant  
Quaeque docent rerum ſolerti in-  
dagine causas,  
Cur ita quidque fit affectum, cur  
nil ibi conflat,  
Quin fluat, & pronas ſemper  
mutetur in horas,  
Edita de Moebis a te monumen-  
ta loquuntur.*

Ceterum illud Wernherianum O-  
pusculum etiam cum MARTINI  
BRONIOVII DE BIEZDZFEDEA  
descriptione Tartariae Colon. Agripp.  
1595. fol. prodiit.

Basiliī effigiem, Tabulas Geographicas Chorographicasque, Uri Bisontisque imagines, & reliqua in vtraque Pantaleonis editione seruata ornamenta omiserit. Haec de Opere principe dicta sunt. Neque tamen minora nonnulla negligenda sunt, meis usurpata oculis: Sigmund Freyherr zu Herberstein Neyperg und Guttenbag Obriester Erlcamrer und Obriester Druchfess in Karnten den Gewinntigen und nachkommenen Freyherrn zu Herberstein. Gedruckt zu Wienen in Österreich durch Raphaeln Hofhalter in 4. (t) nec non: Herrn Sigismundts Freyhern zu Herberstein Beschuzung der Unrecht beschuldigten und sein selbs Fürschung. Gedruckt zu Wien in Österreich durch Raphael Hofhalter beym güldnen Wolf 1560. 4. (u) Denique: Mein Sigismundts Freyherrens zu Herberstein Dienst und Reysen mit dem kurzeſten vergriffen. (x) Post haec omnia laborum

(t) Nullus dubito hoc libello maxime usum B. SPENERVM, quod in eo de gente sua rebusque a fe gestis exponat, & plurima idoneis tabulis confirmet, inter quae etiam est illa superioris ex SPENERO allegata, vacationem a muneribus personalibus largiens.

(u) Apologia est, qua Wilhelmus L. B. Rogendorfii, post proelium contra Turcas A. 1541. infelicitate gestum, quod a malevolis proditoris incusaretur, prae moerore mortui, famam defendit, & ne sibi idem eueniat, cauere vult, incusationemque Polonorum in Comitiis Petricouienibus 1552. sibi obiectam, quod Magnum Moscuae Ducem, Regem appellari, grauissimis rationibus a se amolitur. Et sane adulatorio non usus ingenio Herbersteinum nostrum Legatio ad Christiernum Daniae Regem, in-

digno Columbulae amore ebrium, satis ostendit, *dem er in beysin des Spanischen und Niederlandischen Gejandten gesagt zu Neu koping in Falscher: das er ungeschickt, unredlich und uehrliech handelte, dem Keyser und seiner Freundschaft unleidentlich, vel vt JOANNIS LVDOVICI BRASSICANI apud LAZIVM p. 262. verbis vtar:*

*Daniae Noruegis atque  
Suedis  
Imperitantem adiit Christiernum,  
non satis aequo  
Diffidio sancti turbantem foedera  
leffi  
Liberius monet, infami defovere  
coepo.*

(x) Liber plicatilis Manuscriptus, cuius descriptionem vide in Catalogo Vffenbachiano T. III. p. 366. adde  
B 3

rum honorumque satur noster Heros Anno Christi 1566  
aetatis 80 obiit. (y)

Multis & magnis floruisse tantum virum virtutibus ex iis patet, quae a nobis allata sunt, sed de duabus paulo diligentius dixisse ad meum institutum pertinet. Altera est, summa modestia & inde nata de generis nobilitate verissima sententia. Non poenitebit quenquam legisse ea, quae verbis latinis de hac reliquit conscripta, a B. SPENERO p. 150, edita. In praesenti utr verbis vernaculis ex Genealogia deponitis: Weil dann dem also und meine Voreltern auch einen anfang ihres Adels gehabt, wes sie sich aber zuvor betragen gehalten und beholfen haben, muß ich einen glaubwürdigen Verstand aus unserm erblichen Wapen abnehmen, in demselben sie geführet und noch führen, eine weisse schleiffen, daran man den Pflug auf den Acker, und wieder davon führet, das sie Acker- und Bauleute gewesen seyn. So bestatt auch diese meinung, weil Herr Gunther von Herberstein seines Ankern Mutter halben Herrn Gunthers des letzten dieses Nahmens von Haag Wappen, einen gelben Rosskhumet im rothen feld im 1409 jar zu lehn empfangen, der Khumet gehöret auch zum Acker Bau. Solcher meiner Ausslegung darf sich keiner beschwehren, dann wo mein Vatter oder auch ich mit dem Ackerbau und Pflug gearbeitet, oder genehret hätten, wolte dasselbe in Wahrheit auch nicht verhalten, ich auch viel lieber der erst edel gemach seyn wolt, dann das ich meinen Eltern ungleich befunden werden sollte. Altera virtutum est literarum & literatorum amor summus & constans honorum Academicorum reuerentia. MELCHIOR ADAMI narrat, In tabel-

adde Bibliothecam Menkenianam p. 822.

(y) Fide Lexici Historici uniuersalis & Bibliothecae Historiae Hamburgensis haec scribo, cum nec di-

ligentissimus ADAMI, nec FRE-  
HERVS Theatri sui P. II. Seet. III.  
p. m. 766. illius vestigia legens quic-  
quam de obitu annotauerint.

tabellis functionum suarum seriem, successum, habitum, ut fir-  
 mius recordaretur, depingi eurasse, eam, quae omnium prima  
 esset, quomodo nempe in Viennensi Academia Baccalaurei ti-  
 tulum suscepisset, prae ceteris plurimi fecisse, quod ingenii  
 viribus, tanquam castrense bonum, conciliata esset: cum re-  
 liquae vel generis splendori, vel principum gratiae debitae  
 illa veluti basi inniterentur. Sed videamus ipsum He-  
 bersteinum in praefatione Moscouiae Germanicae, An-  
 no aetatis septuagesimo primo scribentem: *Wie mich*  
*dan etlich auch der Latein halben dergleichen, ihs verma-  
 nens spöttlichen, ain Doctor genent, des ich mir doch fur  
 ain Ehr angenomen, wann ich mich des wiedig erkent hette,  
 & de Vita sua ad Agpatos: Aber gehn Wien in 1497*  
*Jar auf die Schuel, da im 1502 Jar Baccalareus Arcium  
 worden, des sich vil schamen, ich mich aber erfreye. O  
 wie getrewe Meister und Unterweiser ich da gehabt, Gott  
 geb denen allen die ewige Freud zu Lohn. Amen.* Et in A-  
 pologia: *Mein getrewester Meister, Georg Ratzenperger,  
 den ich um seiner guette treue auch ehrlichen Lebens bestän-  
 digkeit hierinnen billig benenne.* Illarum picturarum,  
 quas Amico vel Hospiyi monstraſſe, dixit ADAMI, qua-  
 tuor longe iucundissimas Moscouiae praefigi jussit. Pri-  
 ma est Herbersteinii ad cathedram Decani cum Bidello  
 sceptrifero adstantis, Philosophis assidentibus, cum in-  
 scriptione: *Die erste Wierde von lernung wegen empfangen  
 die durch unverstendige mir zum spot mit dem namen  
 Doctor furgeworffen, des namen ich nit wiedig, aber wohl be-  
 gierig zu haben gewest.* Altera est Herbersteinii, Equi-  
 tis Cataphracti, Vexillum Burgundicum dextra tenentis,  
 cum inscriptione: *Kayser Maximilian bevalh mir Herrn  
 Georgen meinen eltisten Bruder auffzulegen, etliche geruste  
 Steyrerische Pherdt auch Fuesknecht zu bestellen, Maran so  
 von Venedigern belegt, zu speißen, und das ich auch mit-  
 ziehe. Ich fuert zu solcher speyung den Streysfan.* Ter-  
 tia

tia est Exercitus Victoris, cum inscriptione: *Nach der speyung warn die Steyrerischen Reuter mir untergeben, mit denen under Graf Niclas von Salm Obristem Veldhauptmann die Venediger geschlagen, ir Obrister, Zuan Victurio gefangen.* Quarta est Herbersteinii ab Imperatore Maximiliano iactu gladii, adstantibus Consiliariis & Aulicis, inter Equites relati, addita inscriptione: *Pald ervordert mich der Kheyser, begabi mich neben andern Mithaubtleuten mit ritterlicher Wierde, begert mein zu diener an Hof, sezt mich in Rat.* Haec senex Herbersteinius edi, legi, conspici voluit, sapienti, vt reor, consilio, & symbolica ratione, vt ostenderet, artes, & artium honores tyrocinii militaribus nihil obesse, nec minus decere librum Iuuenis nobilis manum, quam militare vexillum; a tyrocinii gradum esse ad ducatum; a ducatu fortiter gesto praemiis, militaribus acceptis, iis, quibus literis ex cultus est animus, ad principum consistoria & rem publicam in partibus credendam facillimam esse viam. Et hae duae Virtutes nobilissimae, summa modestia, & literarum, literatique honoris amor maximus, sunt GENEROSISSIMO CANDIDATO meo, indiuidua consuetudine coniunctissimae, vt vel ob eas unice cum tanto Heroe, in juuenili hac aetate conferri mereatur. Poteram equidem de generis antiquitate dicere qua Herbersteiniano Behrianum nihil concedit (z). Poteram, de hereditario Pincernatu & Culinae Magisterio in Ducatum

(z) *Chronicon Raftadiense apud MEIBOMIVM T. II. p. 99. His temporibus Henricus Dux Saxonie & Bauariae, profugus a Caesaris latere, diuiditur a clypeo & proscriptitur. -- profugus in Angliam tempore rebellionis Stedingerum cum aitis quatuor aulicis, puta de Diepholte quodam, de Huneuelde, BE-*

REN & Hodenberge redit in Patriam. Quam Henrici Leonis fugam in A. 1182, incidere annotat LVNEBERG MYSHARD in Monumentis Nobilitatis Bremensis & Verdens. p. 86, cui istum locum deboeo, & qui ibidem plura gentis decora memorat.

catu Cellensi, & de Mareschallatu Verdensi dicere, quibus Beneficiis Palatinis, ipsis hereditariis Herbersteinorum officiis nihilo inferioribus, Gentis Illustris Perilustris Senior, Dominus WILKEN FRIDERICVS BEHR, plurium Legionum, (qualem Exercitum castrensi vocabulo Brigadam appellant,) fortissimus Dux, Patris nostri Candidati frater patruelis, superiori anno ab Augustissimo Rege est inuenitus. Sed illa externa sunt, & ni propria sustineantur virtute, aliena: haec bona mentis indolisque vere nobilis certissima signa, nec nisi optimis familiaria bona. Non ignorat noster, quantum decus ab antiquissimis majoribus in posteros proficiscatur: sed istam laudem omnes, qui majorum gloriam suis ipsi meritis non imitantur aemulanturque, nihil juuare, immo dedecere, non minus nouit. Est in nostro Patrum virtus, & vt ego illum noui, dignos nobilitate sua alit spiritus, vt Herbersteinio nec in hac re quicquam concessurum credam, si foret opus

*Patriam tutari vindice dextra :*

sed placidas literas merito praetulit, ad non minus praeclara ducentes, postquam tot Agnatos, & ex fratribus suis quatuor, militare decus sectantes vident. Cum literarum amore, literarii honoris cupiditatem junxit, & eo peruenit, quo peruenisse Herbersteinio fuit in votis. Fauxit diuina bonitas, vt, qui tantum Heroa in hac juvenili aetate exacte refert, eundem in ultima senecta honoribus meritisque referat, immo supereret. Habebit tunc, ex illis, qui supererunt, laudatores & praecones: meum est, quam pulcra fuerint laudatissimae Vitae initia nunc exponere. Natus autem est.

C

GE-

GENEROSISSIMVS DOMINVS

## D.BVRCHARDVS CHRISTIANVS BEHR

EQVES LVNEBVRGICVS

in aucto Ducatus Cellensis praedio, cui Stelchtae nomen est, Anno hujus Seculi quarto decimo, XVII Mensis Julii die.

Patrem habuit Virum Perillustrem, IOANNEM GEORGIVM WILHELMVM BEHR S. R. M. Consiliarium & Commissarium Prouinciale, Ducatus Cellensis Pincernam & Culinae Magistrum Hereditarium, Dominum Stelchtae, antiquae fidei virtutisque Equitem, magno cum Reipublica tum Gentis Illustris damno Anno clo Icccccxxxv defunctum.

Matrem veneratur superstitem, CHARLOTTAM IVSTINAM NETTELHORSTIAM, Matronam omnibus sexus sui virtutibus florentissimam.

Auum Paternum nanctus est FRIDERICVM BEHR, Excubiarum in Legione Brunsuigo-Luneburgica sumum Praefectum, Aerarii Consiliarium, Commissarium Prouinciale, Hereditarium Pincernam & Culinae Magistrum.

Auiam Paternam SOPHIAM CATHARINAM BROBERGIAM.

Auum Maternum GEORGIVM FRIDERICVM NETTELHORSTIVM, Ducem Legionis Brunsuigo-Luneburgicae, Praesidioque Vrbis Luneburgensis Praefectum.

Auiam Maternam GESAM ILSAM HASBERGIAM.

Inter Proavos, Avi Paterni Patrem FRIDERICVM BEHR, Capitaneum Clötzensem in Ducatu Brunsuigo-Luneburgico, Hoyae & Munchosii Dominum.

Aui

Aui Paterni Matrem CATHARINAM DOROTHEAM  
VON DER SCHULENBVRG.

Auiae Paternaे Patrem CHRISTOPHORVM BRO-  
BERGIVM, Dominum Brobergi & Basbecki hereditarium.

Auiae Paternaे Matrem ANNAM HEDWIGEM BRE-  
MERIAM.

Aui Materni Patrem CHRISTOPHORVM NETTEL-  
HORSTIVM, Electoris Brandenburgici Aulae Mareschal-  
lum & Praefecturarum Neuhausenſis & Labiauiensis Ca-  
pitaneum.

Aui Materni Matrem ELISABETHAM DIEBESIAM.

Auiae Maternaे Patrem CORDVM HASBERGIVM,  
Hereditarium Eichhofii Dominum.

Auiae Maternaे Matrem ANNAM MARIAM VON  
LENTHE.

Inter Abauos, Aui Paterni Auum Paternum IOAN-  
NEM BEHR, Consiliarium Camerae intimum & Magnum  
Aduocatum Cellensem, Stelchtae & Drackenburgi Do-  
minum, Lineae huius Luneburgicae felicissimum Pro-  
genitorem, IOANNIS BEHR, Curlandiae Producis (a)  
fi-

(a) Qualis quantusque hic Vir  
fuerit, discere licet ex Transactione  
oder Formula des Vertrags zwischen  
den beyden Grōsmächtigsten Königen  
in Dennemarck und Pahlen das Cüb-  
rische Bischofthum betreffend d. A.  
1585, vti illam edidit Celeberr.  
NETTELBADT in Fasciculo Rer.  
Curlandie, I. & vbi pag. 137. haec  
leguntur: *Der Wohgebohrne Jo-  
hannes Behr des Durchl. Königs in  
Dannemarck Stadt-Halter auf dem  
Hause Piltz, und vornehmstes  
Glied selbiges Ohrits oder Krayes,  
soll in friedabnahmen Besitz seiner Güh-  
ter, vermoige seiner Verschreibun-*

gen und rechtmäßig erlangten Privi-  
legien gelaffen und erhalten werden,  
zu dessen Versicherung der Durchl.  
König in Pahlen ihm über erwähnte  
seine verschreibungen und Freyheiten  
einen Confirmations-Brief unter Sr.  
Majest: Siegel, mit zulas und bewil-  
ligung dero nach gewohnheit darzu  
gezogenen Reibs-Räthen, geben  
wird, welchem es gleichfals, das er  
bisher dem Durchl. Könige in Dän-  
nemarck treu verblieben, gantz un-  
nachheilig seyn soll, sondern es wird  
der Durchl. König in Pahlen mit  
vergeltung aller Beleydigung, mit  
seiner Gnade und Gunft ihm zu-

filium, WERNERI BEHR, qui illustrem Lineam Cur-  
landicam hodienum florentem condidit, fratrem.

Aui Paterni Auiam Paternam MARIAM VON BOTH-  
M A R.

Aui Paterni Auum Maternum DIETERICVM VON  
DER SCHVLENBVRC, Betzendorfi & Arenburgi Domi-  
num, Consiliarium Prouincialem Electoris Branden-  
burgici.

Aui Paterni Auiam Maternam CATHARINAM DO-  
ROTHEAM FELDHEIMIAM.

Auiae Paternae Auum Paternum HENRICVM BRO-  
BERGIVM.

Auiae Paternae Auiam Paternam MARGARETHAM  
WERSABEAM.

Auiae Paternae Auum Maternum BVRCARDVM BRE-  
MERVM Cadenbergii, Seeburgi, Manhausii & Droboc-  
ckii Dominum Hereditarium.

Auiae Paternae Auiam Maternam VRSVLAM Dü-  
RINGIAM.

Aui Materni Auum Paternum EBERHARDVM NET-  
TELHORSTIVM, Dominum Canmittenii, apud Russos  
Legionis Ducem.

Aui Materni Auiam Paternam HILDEGARDIN NOL-  
DINIAM.

Aui Materni Auum Maternum IACOBVM DIEBE-  
SIVM, Diebenii, Sessenii, Armstorffii, Rippoldswaldii  
Dominum,

Aui

gehan verbleiben. Hingegen aber soll er entweder selbst, wo er selber seine Güther besitzen, oder durch einen andern, dem er solche nach Erhebung seiner Sachen Gelegenheit und Zustandes zu besitzen übergeben wird, gedachte Königl. Maj.

schuldige, und einem Treuen Lehnsmann und Unterthanen gebührende Pflicht und Unterthanigkeit zu leisten schuldig sein. Adde, filubet, *Anecdota Curlandiae* ab eodem celeberrimo Viro edita pag. 50. & pag. 150.

Aui Materni Auiam Maternam MARIAM DOVEN-  
ECKERIAM.

Auiae Maternae Auum Paternum CHRISTIANVM  
HASBERGIVM, Praefecturae Nienburgensis Capita-  
neum, Eickhofii Dominum.

Auiae Maternae Auiam Paternam ELISABETHAM  
SCHÜNGELLIAM.

Auiae Maternae Auum Maternum GEORGIVM VON  
LENTHE Dominum Lenthii Hereditarium.

Auiae Maternae Auiam Maternam GERTRVDEM  
FRESENIA.

Tantis majoribus editus, & proximo post natalem  
die S. Baptismatis fonte tinctus, vbi rationis vsu valere  
deprehensum, statim optimis praceptoribus priuatis  
est traditus, qui non fucatae pietatis regulas, & sanctissi-  
mae, quam profitemur, religionis fundamenta, simul  
prima literarum elementa infanti pueroque tradiderunt.  
Adultior factus Anno clo lo cc xxx in Academiam E-  
quesrem, quae Luneburgi floret est missus, & a regiis  
in ea Professoribus ea maxime studia, quibus homines  
ad humanitatem formari solent, tractauit sedulo, sed &  
Philosophica placita, & Iuris principia attigit. Sane cum  
voluptate recordatur fidelissimae institutionis Virorum  
Excellentissimorum, Io. FRIDERICI SCHWARTZII  
Sereniss. Episcopo Lubecensi ab Aulae Consiliis & pri-  
marii in Academia Professoris, qui Iuris Naturae pra-  
cepta, Publici Priuatique initia instillauit, & in Natali  
AVGVSTISSIMI REGIS Nostri Anni clo lo cc xxxii.  
Tanti Principis Heroica facta solemini Oratione celebran-  
ti, scripto Programmate praefatus est, GEORGII  
WEHRENBERGII I. V. D. & Academiae Inspectoris,  
qui Historiam Imperii, Ethicam & Politicam tradidit,  
eruditum etiam certamen super Dissertatione de Origine

*Electorum* conscripta publice institutum Praeses est moderatus, LUDOVICI LEVINI GEBHARDI, cui Mythologiae, Antiquitatum Romanarum Germanicarumque & reliquam humanitatis notitiam acceptam fert, ut linguae Gallicae studium, & artes, quae corpus exercent taceam, quibus noster diligentissime operam dedit. Ultra triennium Luneburgi commoratus Anno clo lo cc xxxiii ad Academica processit studia, eoque nomine in Giessensem Academiam se contulit, atque ibi celeberrimum ESTOREM, qui nunc Ienensem Academiam sui nominis fama illustrat, meam, quam nuper secundum edidi, Ichnographiam Historicam eruditissime interpretantem & Consultissimum REUSSIVM I. V. D. & Professorem, Ius Ciuale tradentem in primis audiuit, sed nec reliquorum Excellentissimorum Professorum KEYSERI, WAHLII, MASSONII scholas neglexit. Vbi autem de condita Georgia Augusta certior est factus, peregrinis patrias nouasque Musas praetulit, & Anno clo lo cc xxxv. ineunte vere, ad hanc urbem accessit, nec ab eo tempore desstitut cum pulcherrima vitae ratione, tum pertinaci in studiis diligentia exquisitissimo reliquis esse exemplo. Audivit antem Collegas Honorablemos, Viros, quos pro sua celebritate nominasse est laudasse, Io. DAVIDEM KOELERV M Historiam Imperii tradentem, Io. IACOBVM SCHMAVSSIVM Ius ejusdem Imperii publicum explicantem, TOBIAM IACOBVM REINHARTHVM, fori usum & prudenter procedendi in judiciis modum pandentem, sed & me Iura Civilia & Feudalia publice priuatimque interpretantem, immo priuatissimis horulis cum Ciuilem & Iuris Vniuersi Historiam, tum Iura ipsa enucleantem, in quibus mentem tam bonam, ut melior vix sperari possit, recti a prauo discernendi acre judicium, excellens inge-

ingenium, sumمام in rebus optimis constantiam; reliquaque, quas enumerare longum foret, animi do- tes excellentes penitus inspexi. Quam variis muneri- bus in sacris Georgiae Augustae inauguralibus summa cum laude sit functus, in illorum Historia legere est, sed & Opponentis partes ita suscepit, ut nemo saepius, nemo melius. Quare nullus dubitauit, *Dissertationem de Iustitia & Iure* optimo amico, vt eam publice re- spondendo tueatur, permittere, cui certamini pro mo- re Praeses, sed, quod Eum rem suam strenue gerere cernerem, tacitus affui. Tandem sum obtinendi Ho- nores in arte nostra summos desiderium latie honestissi- mum, quod mihi ob exempli raritatem pene attonito dudum aperuerat, in literis apud Ordinem nostrum est professus, &, vt, me tacente, est manifestum, pronis- simum omnium obtinuit assensum. Admissus ad Exa- mina consueta, vtriusque Iuris textus tam erudite ex- posuit, ad quae sita tam promte & tam docte respondit, vt honoribus speratis vnanimi suffragio dignissimus sit iudicatus. Nihil itaque superest, quam vt die fu- tura Lunae, Mensis huius XVIII. Lectionem cursoriam de Restitutione in Integrum, qua illa naturali ratione nititur, foro nostro amica, qua a Romani Iuris apicibus pen- det, a nostro foro aliena, & Dissertationem inauguralem de Actione de Dolo malo, Malitiarum Romae Everriculo, suppelletili in foro nostro minus necessaria, sine Praeside in Auditorio ICtorum defendat, atque proxime in sequente die, Mensis XIX. in Templo Academicо merentissimo Honores cupiti solemni ritu a me designatore conferan- tur. Vt autem Vos, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROFESSORES OMNIVM ORDINVM CE- LEBERRIMI, HOSPITES, CIVES, COM- MILTONES GENEROSISSIMI, NOBILIS-

SI-

QK II n 9981

(24)

SIMI QE, cum Lectionem illam, Disputationemque frequentare, tum solemini Pompa, qua GEN-  
EROSISSIMVS VIR deducendus est, interesse, omniaque Vestra Illustrissima & perhonorifica praeSENTIA cohonestare, non dedignemini, quam diligentissime, &, si vñquam, officiosissime, rogo atque contendeo.  
P. P. Gottingae c/o cc xxxviii. xvii. Augusti die.



21  
22

(X2298638)

Q.K.  
408  
17

de Sigism. SB. ab Herberstein ejusq;  
Moldavia.

ORDINIS IVRIDICI  
DECANVS

II n  
7981

# GEORGIVS CHRISTIANVS GEBÄVERVS D.

ET GEORGIAE AVGVSTAE H. T. PRORECTOR  
VIRI GENEROSISSIMI

BVRCHARDI CHRISTIANI BEHR  
EQVITIS LVNEBURGICI  
SOLEMNIA INAVGVRALIA  
INDICIT.



GOTTINGAE  
APVD AERAM. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

